

suis amicis videlicet Friczkone de Rotheborndorf et Gunthero filio Heynmani Karas, qui etiam debent et promiserunt procurare et cum effectu efficere, ut dictus census duarum sexagenarum praedictarum approprietur et eximatur ab omni servitute temporali et dicto altari sine quolibet impedimento irrefragabiliter applicetur infra spatium unius anni a data praesentium, ita quod una sexagena dictae monetae solvatur dicto altari in festo Walpurgis proximo et una sexagena in festo Michaelis proxime subsequente et deinceps singulis annis. Et huiusmodi promissa tam de illis de Melnik quam de domino Alberto et suis amicis Karas praedictis quemadmodum praemissum est recepimus, constituentibus nos ammonitores repetitores et executores talium promissorum, ut a praemissis personis in praefatis terminis impleantur. Ceterum omnes litterae super ista causa editae seu scriptae ad nostram potestatem debeant praesentari quousque universa termino bono discussa fuerint seu sopita. In cuius rei testimonium et certam roboris firmitatem sigillum nostrae civitatis praesentibus est appensum, praesentibus testibus honestis viris et dominis magistro Paulo Hugone dicto Iuvene sacerdote in Pyrna, Henrico plebano in Libinstat, Henrico magistro hospitalis in Pyrna sacerdotibus et aliis pluribus fide dignis. Datum et actum anno domini M°. CCC°. XXXVIII°. feria quinta ante Luciae virginis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna. Das an einem Pergamentstreifen befestigt gewesene Stadtsiegel ist abhanden gekommen.

#### No. 31. 1338. 20. Dec.

*Magister Paulus übernimmt, zum Dank für die Seitens des Klosters Ossegg ihm zu Theil gewordene und noch zu erhoffende wohlwollende Gesinnung und Förderung die Führung der Angelegenheiten und Rechtssachen des Klosters, ohne für seinen Rath und seine Beihülfe eine Entschädigung zu beanspruchen.*

In nomine domini amen. Ego magister Paulus cappellanus religiosorum in Christo dominorum abbatis et conventus monasterii in Osseck revoco ad memoriam quoddam dictum iuris, in quo sic cavetur, quod<sup>1)</sup> in officiis caritatis illis primo teneamur obnoxii, a quibus nos cognoscimus fidelitatis et gratiae beneficium recepisse. Inde est quod [cum] honorabiles in Christo viri dominus abbas prior totusque conventus monasterii in Ozzeck Cisterciensis ordinis Pragensis diocesis et patroni ecclesiae parochialis in Pirna Misnensis diocesis me pie et favorabiliter bono favore prosecuti sunt promotionibus et aliis caritatum officiis, immo spero ab ipsis adhuc in posterum favente domino ulterius promoveri loco et tempore oportunis, ideo ipsis teneor ad antidora secundum canonicas sanctiones. Propterea virtute talis gratiae et sperandae promotionis a praedicto monasterio me constituo iconomum seu procuratorem ipsorum, volens fideliter iuxta posse meum ipsis in causis et negotiis ipsorum patrocinari, impendendo ipsis ex mera liberalitate auxilium consilium et favorem. In cuius rei testimonium sigillum meum praesentibus est appensum. Anno domini M°. CCC° XXXVIII in vigilia beati Thomae apostoli.

Nach einer Abschrift aus dem 15. Jahrh. in Acten des K. Haupt-Staatsarchivs zu Dresden wie No. 18.

1) Orig. cum.